

sigillum nostrum una cum sigillis praepositi et conventus praedictorum praesentibus est appensum sub anno domini millesimo CCC^{mo} nonagesimo octavo.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig An einem Pergamentstreifen hängen die Siegel des Bischofs, des Capitels (zerbrochen) und des Probstes.

No. 186. 1399. 18. Juli.

Probst Johannes verkauft dem Convent ein Schock Groschen Gefälle in Baalsdorf für 12 Schock auf einen Wiederkauf.

Nos Johannes dei gratia praepositus canonicorum regularium ordinis sancti Augustini monasterii sancti Thomae in Leipezk universis quibus praesens scriptum ostensum fuerit. Recognoscimus et publice dilucide profiteamur, quod nos matura deliberatione praehabita et summa necessitate cogente dominis nostri conventus unius sexagenae latorum grossorum Friburgensis monetae redditus in et super bonis nostris in villa Baldinsdorff sitis super vero et debito censu pecuniarum, qui a sculteto dictae villae nobis dari singulis annis consuevit, vendidimus ac interveniente legitimo venditionis et emptionis contractu vendimus in his scriptis habendos et quiete possidendos pro XII sexagenis eiusdem monetae nobis integraliter persolutis ac in utilitatem nostri monasterii conversis, tali conditione adiecta ut dicti unius sexagenae redditus in festo sanctae Walpurgis proxime venturo isto anno et sic deinceps quolibet anno sequenti a sculteto dictae villae dominis nostri conventus plene et sine diminutione qualibet tradantur et fideliter persolvantur, de quibus quidem unius sexagenae redditibus XX grossi hospitalario hospitalis sancti Georgii martyris extra muros Leipezenses situati ac XX grossi infirmis dicti hospitalis a dominis saepedictis nostri conventus annis singulis in dicto festo sanctae Walpurgis tribui debent, nec non et reliquos XX grossos ipsi domini saepefacti nostri conventus sibi ipsis debent fideliter reservare. Insuper domini nostri conventus praedicti talem nobis favorem praebuerunt atque praebent, fecerunt atque faciunt, quod ipsi quidem domini nostri conventus nobis aut successoribus nostris dictos unius sexagenae census pro dicta pecuniae quantitate videlicet XII sexagenis, dummodo nos aut successores nostri nobis aut successoribus ad pinguiorem provenientibus fortunam a praefatis dominis nostri conventus dictos census unius sexagenae pro XII sexagenis volumus et valeamus aut volunt atque valent emere sive comparare, libentissime volunt vendere viceversa quolibet contradictionis strepitu quiescente. Promittimus etiam pro nobis nostrisque successoribus bona fide et absque omni dolo omnia et singula praemissa praefatis dominis nostri conventus rata tenere et ea inviolabiliter observare nec contra ea venire verbo cautela vel ingenio quovismodo, dantes ipsis dominis nostri conventus nostram patentem litteram nostrae praepositurae sigillo fideliter communitam sub anno domini millesimo CCC^{mo} XCIX^o proxima feria sexta ante Mariae Magdalenae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Probsts an einem Pergamentstreifen.